



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Omurandonus n. 20

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

relinquo, &c. Et postquam filijs sorores, ac Matrem commendasset, *Qua illis commendat Societatem,* addidit: Patres Societatis adhibete semper ad omnia consilia vestrarum rerum, eorumque singulis, vt mihi obtemperate. Hæc vltima Patris vestri mandata sunt, &c. Ita refertur Par. 5. *Hist. Soc. Tom. 1. lib. 7. n. 152.*

20. * AB OMVRANDONO *Omurensi etiam Rege ad Societatis Prouincialem sic scribente:* Ego (inquit) quid Dei lex iubeat ignoro, multum tamen desidero Patres Societatis in hac parte cautos procedere, ex illis siquidem bonum, & conseruatio totius Iaponiæ pendet: ne magis Xogum irriteretur, crescat persecutio, omnesque destruantur. Reliqua in altera scribam. *Ab Ea rotius Iaponica bonum, & conseruatio pendet.* Ita in *Hist. Persecut. Iapon per P. Moreson cap. 16. §. 2.*

21. A CANGOXIMANO *Regulo literis ad Prouincialem Societatis, quibus aliquem ex eadem Societate verbis sequentibus admodumque honorificis ille expostulat.* Duo (inquit) socij venerunt meum in Regnum, atque vt eorum animus excelsus est, ipsique potentes sermone, ac doctrina. Ego eos quasi cæli tonitrua reor. Illud autem in ijs prorsus admiror, quod huc tam è longinquo veniant, quia prout accepi de nauigationibus Lusitanorum ad has oras, ipsamet luna sunt; ita circum-eunt mundum. Antequam hic essent Christiani, erat hæc regio casta bonitate, omniaque torrida æstu, nunc autem videntur ipsi flabellum, quod refrigeret hominum corda. Hoc Regnum tametsi pusillum est, debent tamen Patres Nangan-gini alacriter venire ad illud. Quod si forte alijs in Regnis inueniunt mare decrefcens, hoc in Regno semper est plenum. Christiani quoad Patrum aliquo potiantur, consolantur se Cruce, quam erexere, tanquam si illi adessent. Ego existimo, quod Regnum hoc meum careat Patribus perinde esse atque Cælum obductum nubibus, vel sol defectionem patiens, & lumine spoliatus. *Eius filij potentes sermone, & doctrina: calique tonitrua.* Ita *Par. 2. Hist. Soc. l. 6. n. 183.* *Flabellum refrigerans hominum corda.* *Ijs Orientem carere, est Solis lumine spoliari.*

22. A IOANNE VTAYO *Bungensi Rege, qui non minoris faciebat Societatem, quando sociorum in terras suas aduentui*